tia uit nomium sanctificacionis su

ut in ore eorum om in um

um tur lin guarum alle

R Repleti sunt omnes ut

94 A 360

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-375674-p0001-7

U. q 17, 9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-375674-p0002-3

10

# THESES INAUGURALES DE PERSONIS FEUDA DANTIBUS ET ACCIPIENTIBUS

QUAS

DIVINO SUBNIXUS PRÆSIDIO

*Auctoritate Nobiliſſimi & Ampliſſimi JCtorum Ordinis in almâ Univerſitate Noricâ*

Pro ſummis in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis ritè obtinendis

*Publico & Solenni Examini ſubjicit*

FRIDERICUS SEIFART
HAL. SAX.

*Ad d. 26. Martii*

*ANNO CHRISTI*

M. DC. LIII.

---

*ALTDORPHI*
TYPIS GEORGI HAGEN, Univerſ. Altdorph. Typographi.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-375674-p0003-8

VIRIS

*Magnificis, Ampliſſimis, Conſultiſſimis, atq; Prudentiſſimis*

DNN. CONSULIBUS, PROCONSULIBUS, CAMERARIIS, CÆTERISQ. INCLYTÆ REIP. HALENSIS SENATORIBUS MERITISSIMIS, SPECTATISSIMIS,

*Patronis, Promotoribus & Fautoribus ſuis perpetuâ honoris & obſervantiæ promptitudine æternùm honorandis, colendis*

Theſes haſce inaugurales

offert

FRIDERICUS Seifart, H.S.

Σὺν θεῷ

# DISPUTATIONIS INAUGURALIS DE

# PERSONIS FEUDA DANTIBUS ET ACCIPIENTIBUS

## THESIS I.

Solent, qui feudorum materiam certâ methodo & ratione tractant, totam doctrinam partiri in communia ſeu generalia, & ſpecialia ſive propria.

Dnn. Cunradus Rittersh. & Matth. Hübnerus J̄cti magni, & quondam in Lyceo hoc Anteceſſores celeberrimi *in Diſputat. Feudalib.* horumq; meritis & famâ genuinus Succeſſor Dn. Wilhelm. Ludw. *in Synopſ.* Feudal. *nuperrimè in lucem editâ.*

## II.

Ad generalia referunt Juris feudalis originem, authoritatem, uſum, definitionem, diviſionem, alia.

Dd. laudati, & Magnif. Dn. Carpzov. *Diſp. feud. 1. & 2. in pr.*

## III.

Ad ſpecialia, ſequentia præcipuè capita, ut ſunt: Quæ perſonæ feuda dare, & quæ accipere poſſint, qui & quot ſint modi feuda conſtituendi & acquirendi, quæ res in feudum dari poſſint, qui ſit finis feudi & forma, quis effectus ejus, quibus ex cauſis feudum legiti-



mè

mè conſtitutum finiatur, & à quibus deniq; ac qualiter cauſæ feudales ſint decidendæ.

*Dd. allegati* & Suevius *in tr. feud.*

IV.

Mihi, cæteris relictis omnibus, hac vice ex propriis & ſpecialibus Unum, & ordine quidem primum, ſeligere, ſolenniq; huic disquiſitioni ſubjicere animo ſedet, nempè perſonas feuda dantes & accipientes. Deus captis clementer adſpiret!

V.

Principiò autem, ut hanc de utroque perſonarum genere doctrinam Interpp. juris feudiſtici faciliorem quodammodò & explicatiorem redderent, univerſum ejus ambitum duabus generalibus incluſerunt regulis:

Dn. Carpz. *diſp. feud. 3. th. 2. & 26.* Excell. Ludw. *d. tr. feud. c. 5. & 6.*

VI.

Una de dantibus ita habet; Feuda (a) dare poſſunt omnes (b) qui liberam & legitimam bonorum ſuorum adminiſtrationem habent (c).

(a) Dnn. Carpz & Ludw. *dd. ll.* Aliis verbis, ſed ſenſu pari, efferunt hanc regulam Vult. *lib. 1. c. 3. n. 1.* Excell. Struv. *Exerc. feud. 5. th. 2.* Svev. *in tr. feud. c. 3.*

(b) Hodie ſcilicet. Nam olim non niſi qui jus belli habebant, feuda dabant. Dn. Rittersh. *diſp. feud. 2. th. 5.* Matth. Hübn. *diſp. 3. th. 10. & 12.*

(c) *c. inveſtitura. 2. f. 3.* Dn. Carpz. *d. diſp. 3. th. 2.* Dn. Ludw. *d. c. 5. in pr.* Roſenth. *c. 3. concl. 2. n. 1.* Bocer. *de inveſtit. c. 3. n. 113.*

VII.

Patet inde, ut quis rectè & jure feuda det, duo conjun-

junctim requiri. I. ut, qui alteri feudum in re aliquâ vult conſtituere, ejus rei dominus (a) ſit. II. Ut liberam rei ſuæ adminiſtrationem habeat. Alterutro horum deficiente, in feudum datio nullius eſt momenti.

Dn. Ludw. *d. c. 5.* Carpz. *d. diſp. 3. th. 3.* (a) Tenendum hîc, dominos conſiderari, vel abſolutè ante feudi conſtitutionẽ, quomodo dominus dicitur, qui rei proprietatem habet, vel poſt feudum conſtitutum, in relatione ad Vaſallum, quomodo non tam dominii ſeu proprietatis, quàm honoris & reverentiæ intuitu dominus appellatur, & in hoc ſignificatu non rarò honorabili Senioris titulo inſignitur. *c. ſi capitanei 1. f. 17. & 18.* Vult. *l. 1. c. 3. n. 15.* Dn Ludw. *d. c. 5.* Dn. Rittersh. *d. diſp 2. th. 2.* Hotom. *in Lexic. feud.* in verbo *dominus* & in verbo *Senior.*

## VIII.

Atq; hinc eſt, quod feudorum Dd. duas eorum, qui feuda dare nequeunt, conſtituerunt claſſes. Primâ continentur, qui liberam rerum adminiſtrationem habent, ſed abſq; dominio; alterâ, qui dominium habent, ſed abſq; adminiſtratione.

Ampliſſ. Dn. Ludw. *d. c. 5.*

## IX.

In claſſe priore locantur tutores & curatores. Habent enim illi quidem liberam adminiſtrationem, quia tamen domini (a) non ſunt, non poſſunt pupillorum & minorum prædia alienare, & conſequenter nec in feudum dare, niſi authoritas & decretum magiſtratûs intervenerit. (b)

(a) l. 11. §. ſi *tutoris* 6. ff. *quod vi aut clam.* l. 27. ff. *de admin. tut.* t. t. *de rebus eor. qui ſub tut.*

(b) l. *non omni* 16. C. *de adminiſt. tut. junct.* §. 1. 2. f. 3. *l. 32. C. de prædiis & aliis reb. min.*

Dn. Ludw. *d. c. 5.* Bocer. *de inveſt. c. 3. n. 53.* Vultej. *d. c. 3. n. 2.* Duar. *c. 6. n. 12.* Schrad. *p. 4. c. 1. n. fin.* Roſenthal. *c. 3. conc. 16.*

## X.

Pari paſſu cum his ambulant, etiam Procuratores totorum bonorum ſimplices: ſimplices dico, nam ſi procuratores ſint cum libera (a), ut loquuntur, aut mandatum ad hoc ſpeciale (b) habeant, feuda dare non impediuntur.

(a) *arg. §. nihil autem 43. J. de A. R. D. l. procurator. 58. ff. de Proc. Pac.* ἐναντιοφ. *cent. 2. q. 47.*

(b) *§. 1. 2. f. 3. vers. ſed utrũ l. procurator 63 ff. de proc.* Dn. D. Ludw. *d. c. 5.* Dn. Carpzov. d. *diſp. 8. th. 15.* Roſenthal. *c. 3. conc. 6.* Vult. *c. 3. n. 2.* Bocer. *de inveſt. c. 3. n. 52.*

## XI.

Quanquam ſi dicendum, quod res eſt, in terminis hiſce non tam Procurator, quàm ipſe dominus feuda dare intelligitur, juxta regulam vulgatam: Quod quis per alium facit, ipſe feciſſe videtur.

*arg. l. ita autem 5. §. quod ſi quis 3. ff. de admin. tut. & l. 2. §. 2. ff. de donat.*

## XII.

Niſi fortaſſis in eo differentia ſit, quod ab hujuſmodi Procuratoribus conceſſio feudi non gratis, ſed accepto pretio fiat, & cum evidenti domini utilitate.

Dd. *modò allegati.*

## XIII.

Quod ſi enim infeudatio planè ſit gratuita, hæc facilè permittenda non eſt, cum libera ſolummodò adminiſtratio, non donatio, aut perditio rerum ſit conceſſa (a); niſi poſtmodũ ratihabitio domini acceſſerit. (b)

(a) l. 3. ff. *de accept.* Schrad. *d. c. 1. n. 71.* Dn. Ludw. *d. c. 5.*

(b) *arg. l. fin.* C. *ad SCtum. Maced.* Arum. *diſp. feud. 3. th. 29. & 30.* Dn. Rittersh. *d. diſp. 2. th. 27.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-375674-p0008-6

## XIV.

In claſſe alterâ reponuntur I. Infans, Pupillus, minor. Et de infante quidem nulla prorſus dubitatio eſt, cùm nullum (a) is animi judicium habeat, nec intellectum ullum, atq; adeò, quid agatur, non intelligat.

Dn. LudW. *d. c.* 5. Dn. Struv. d. *Exer. feud.* 5. *th* 4.

(a) *arg.* § 9. *I. de inut. ſtipul. l.* 5. *l.* 40. de R. I. Gœdd. *diſp. feud.* 4. *th.* 2. Vult. *c.* 3. *n* 7.

## XV.

De pupillis & minoribus ſimiliter conſtat, etiam in his aliquem adhuc animi defectum deprehendi.

t. t. *de reb. cor. qui ſub tut. & cur. & t. t. C. de præd. & alijs reb. min.*

## XVI.

An verò defectum hunc authoritas tutoris & curatoris ſupplere poſſit, ita ut feudi conceſſio valeat, quæſtionis eſt. Neq; de novi feudi conceſſione (a) de quâ hîc propriè agitur. De veteris feudi renovatione fortè aliud dicendum (b)

(a) Duarenus *c.* 6. Dn. Carpz. *diſp.* 3. *th.* 21. Sonsb. *p.* 6. *n.* 24. Vult. *d. c.* 3. *n.* 6. *ibiq; Dd. allegati.*

(b) 2. *f.* 3. Dn. Ludw. *alleg. cap.* Dn. Rittersh. *d. diſp.* 2. *th.* 31. Duar. *c.* 6. *n.* 11. Zaſ. *p.* 5. Sonsb. *p.* 6. *n.* 21.

## XVII.

At quid de minore curatorem non habente? Neq; hic abſq; judicis decreto (a) res ſuas immobiles alienare, ac proinde nec in feudum dare poteſt, quamvis aliàs rectè contrahat.

(a) *l.* 4. *l.* 6. *l.* 11. *l.* 15. *C. de præd. min.* Dn. Struv. *d. Exerc. feud.* 5. *th.* 4. *arg. l.* 3. *C. de his qui ven. ætat. impetrav.*

XIIX.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-375674-p0009-5

## XIIX.

II. Furioſi, mente capti (a) & prodigi, quibus â Magiſtratu bonis interdictum eſt (b).

(a) *l. 40. & l. 124. de R. J.*

(b) *l. Julianus 10. ff. de curat. furios.* quia & hi, quoad bona ſua furioſum faciunt exitum *l. 12. in fin. de tut. & cur. dand.* Dn. Struv. *d. Exerc. 5. th. 5.* Gœdd. *diſp. 4. th. 2. lit. C.*

## XIX.

III. Surdi & muti, ſi, quid agatur, non intelligant. Nam ſi intellectu non deſtituuntur, uti alios contract⁹, qui verba pro formâ non exigunt, celebrare, ita & donare poſſunt.

*l. 33. §. 2. ff. de donat. l. 48. de O. & A.* Dn. Ludw. *d. l.* Arum. *d. diſp. 3. th. 27.* Schneid. *p. 3. n. 38.*

## XX.

Neq; diſtinguimus, utrum naturâ muti & ſurdi ſint, an verò caſu tantum aliquo & ex accidenti.

Dn. Ludw. *d. c.* Arumæus *d. diſp. th. 27.*

## XXI.

Pertinent deniq; ad hanc claſſem filiifamilias, nō quidem, qui pleno jure (a) bona adventitia aut bona etiam caſtrenſia aut quaſi caſtrenſia habent:

Nov. *117. c. 1. §. 1. l. 8. §. 5. verſ. filiisfam. C. de bon. quæ liber.* Vult. *c. 3. n. 5.* Dn. Ludw. *d. c.* Carpz. *d. diſp. 3. th. 9.* Dn. Struv. *d.* Exerc. *5. th. 5.*

## XXII.

Sed qui bona poſſident adventitia, quorum uſusfru-

fructus ad patrem: proprietas verò ad filiumfam. ſpectat. Multò verò magis, qui bona ſolummodò habent profectitia, in quibus filiifam. nihil planè habent proprii.

*§. 3. J. per quas perſ. cuiq; acquir.* Dn. Ludw. *alleg. c. 5.* Dn. Carpz. *d. diſp. 5. th. 9.* Vult. *d. c. 3. n. 5.*

## XXIII.

Extra perſonas, quæ in hiſce claſſibus reperiuntur, res ſuas in feudum liberè & ſimpliciter concedere poſſunt cæteræ omnes, (a) ſive ſingulares (b) ſint, ſive Univerſitas, ſive mares ſive fæminæ (c), Laicæ an clericæ (d).

(a) Eſt enim feudum de genere permiſſorum; poſſunt itaq; feudum dare, qui prohibiti non inveniuntur. *Niell. diſp. feud. 2. th. 1.*

(b) Dn. Ritterſh. *diſp. 2. th. 32.* Hübn. *diſp. 2. th. 8.*

(c) *textus eſt in §. fæminam 2. f. 3. & §. 1. 1. f. 3.* Dn. Ludw. *d. c. 5.* Roſenth. *c. 3. conc. 3.* Dn. Carpz. *d. diſp. th. 10.* Dn. Ritterſh. *part. feud. 1. c. 5. q. 22.* Dn. Struv. *diſp. 5. th. 3.* Arumæus *Diſp. 3. th. 5.* Vult. *l. 1. c. 3. n. 8. & 9.* Sonsb. *p. 6. n. 17.*

(d) de quibus in theſibus ſeqq.

## XXIV.

Et ex laicis quidem ſeu ſecularibus perſonis, quædam concedunt feuda vel cum, vel ſine ſuperioritatis aut dignitatis alicujus intuitu; prioris generis rurſus tres ſunt gradus, ſummus, medius, infimus.

Nobiliſſ. Dn. Ludw. *d. c. 5.*

## XXV.

In primo & ſummo gradu, extra omnem contro-

verſiæ aleam poſitus eſt Imperator Romanus. Hic enim cùm omnis dignitatis & nobilitatis fons exiſtimetur, non modò de bonis propriis ſive patrimonialibus feudum pro arbitrio largiri poteſt:

*C. quia 1. f. 1. C. de Marchiâ 1. f. 14.* Dn. Ludw. *d. cap.* Dn. Rittersh. *par. 1. feud. c. 5. q. 15. 16.* Schneid. *p. 3. n. 51. & ſeqq.* Dn. Carpz. *d. diſp. 3. th. 4.* Vult. *c. 3. n. 13.* Hotoman. *Illuſtr. quæſt. q. 1.* Borchold. *c. 5. n. 22.*

## *XXVI.*

Sed & de ipſius Imperii bonis. Quatenus enim ille ad ſuam & Imperii dignitatem tuendam & augendã hiſce utitur, pro domino eorum omninò habetur.

*C. natura 1. f. 7. & d. c. de Marchia 1. f. 14. c. quiâ 2. f. 10. &* Dn. Ludw. *d. c.* Dn. Struv. *d. Exerc. 5. th. 6.* Svevius *d. c. 4.*

## *XXVII.*

Hâc tamen limitatione, ne infeudatio ejusmodi in gravem Imperii læſionem vergat & detrimentum.

Dn. Rittersh. *diſp. 3. th. 15. 16.* Dn. Ludw. *d. c.* Dn. Carpz. *d. diſp. 3. th. 5.* Vult. *c. 3. n. 15.* Zaſ. *p. 5. n. 15.* Schrad. *p. 4. c. 1. n. 22.*

## *XXVIII.*

Habet verò Imperator poteſtatem infeudandi bona Imperii quam primùm eſt electus, etſi coronatus nondum fuerit, nec â Pontifice confirmatus.

Dn. Ludw. *d. c.*

## *XXIX.*

Sed quid ſi fortè diſcordantibus Electorum votis duo Imperatores creati fuerint? Utrumq; rectè feuda con-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-375674-p0012-8

conferre exiſtimamus: inveſtitura tamen ante confirmationem facta, ex futuro pendet eventu, ita ut ejus ſolummodò qui in Imperio confirmatus eſt, conceſſio valeat, alterius irritâ habitâ.

*allegat.* Excell. Ludw. *d. l.*

### X X X.

Cæterùm, nemo hinc colligat, Imperatorem bona etiam ſubditorum propria auferre, & in feudum alteri dare poſſe. Neq; enim Imperator, ne ex plenitudine quidem poteſtatis, cuiq; jus ſuum ſemel quæſitum auferre poteſt.

Dn. D. Ludw. *d. l.* Dn. Carpzov. *diſp. 3. th. 6.* Dn. Struv. *d. Exerc. 5. th. 6.*

### X X X I.

Neq; etiam, quamvis evidens Reipub. utilitas & neceſſitas videatur expoſcere, Imperatori de bonis privatorum feudum conſtituere licet, niſi juſtum eis refundatur precium.

Dn. Ludw. *d. cap.* Dn. Carpz. *d. diſp. 3. th. 7. ibiq; Dd. alleg.* Dn. Struv. *d. th. 6. in fin.* Grotius *de J. P. & B. l. 2. c. 14. n. 7. & 8.*

### X X X I I.

In eodem gradu ſummo collocatur etiam Rex, ſuperiorem non recognoſcens; Item Reſpublica, ſi pariter ſuperiorem non recognoſcat.

Dn. Cunradus Rittersh. *p. 1. c. 5. q. 17.* Dn. Ludw. *alleg. loc.* Arumæus *diſp. 3. th. 12. 13.* Borchold. *c. 5. n. 26.* Zaſ. *p. 5. n. 5.*

### X X X I I I.

In ſecundo ſive medio gradu collocantur Dux, Mar-

Marchio, Comes, Licet enim hi Imperatorem ut ſupremum caput meritò agnoſcant, in propoſitâ tamen materiâ, in territoriis ſuis, æquè ac Imperator in ſuo imperio, feuda concedere poſſunt.

Dn. Rittersh. *d.c.5.q.19.* Dn. Ludw. *d.l.* Vult. *c.3.n.13.* Borch *c.1.n.26.*

## XXXIV.

Infimum gradum ſubeunt Barones & Nobiles; quãvis moribus Germaniæ noſtræ Barones Comitibus dignitate penè pares habeantur, atq; adeò ad medium dignitatis gradum â non paucis referantur.

*c. quia. in pr. 1.f.1.* Dn. Ludw. *c.5.* Zaſ. *p.5.n.29.*

## XXXV.

Qui ſine aliquo ſuperioritatis reſpectu feuda concedunt, ſunt reliqui omnes, qui nullo nobilitatis genere coruſcant, cujusmodi ſunt ignobiles & plebeji, quin & ruſtici. Cum enim & hi rerum ſuarum domini ſint & arbitri, nulla cauſa eſt, quæ eos, â jure poteſtateque feudi conferendi excludat.

*1.f.7.2.f.3.* Dn. Ludw. *d.l.* Dn. Cunr. Rittersh. *d. diſp. th.13.* Vult. *c.3.n.14.* Roſenth. *c.3. conc.3. lit. C.* Schrad. *p.4.c.1.n.57.*

## XXXVI.

Laicos in ordine excipiunt Clerici, (a) qui bona habẽt vel propria, vel Eccleſiaſtica; ſi propria: pariter cum Laicis (quia pari hîc cenſentur jure) bona illa pro arbitrio infeudare poſſunt, *(b)*

(a) Videbatur quidem de Clericis tanquam dignioribus, & qui Laicos religione & loco præcellunt, prius dicendum, quod etiam

etiam à pleriſq; ſit interpp. Verùm quia de Laicis minus eſt dubii, quin feuda poſſint dare, & eos inſuper etiam ante clericos id jus habuiſſe conſtat, non dubitavimus, cum nobiliſſ. JCtis Zaſ. *p.5. n.42.* & Dn. Rittersh. *diſp. feud. 2. th. 10. & 33.* Laicis in hujus doctrinæ ordine primas dare, absq; ullo tamen Clericorum præjudicio. *add.* Dn. Carpz. *diſp. feud. 3. th. 11.*

(b) *2. f. 35.* Vult. *d. c. 3. n. 10.* Schrad. *p. 4. c. 2.* Schneid. *p. 3. n. 21.*

## XXXVII.

Quod ſi verò bona habeant Eccleſiaſtica, inter Papam & inferiores à Papâ Eccleſiæ prælatos diſtinguendum eſt. Pontifex Romanus enim, de cujus immensâ poteſtate dubitare apud Pontificios ſacrilegium eſt, indifferenter non ſuæ tantùm Eccleſiæ & ſedis Apoſtolicæ, (unde papalia dicta) ſed omnium omninò Eccleſiarum bona alteri in feudum concedere poteſt.

Dn. Ludw. *alleg. loc.* Vult. *d. c. 3. n. 10.* Dn. Carpz. *d. diſp. 3. th. 12.* Dn. Struv. *Exerc. feud. 5. th. 8.*

## XXXVIII.

Reliqui verò Clerici ſive Eccleſiæ prælati, putà: Patriarcha, Archiepiſcopus, Epiſcopus, Abbas, Abbatiſſa, Præpoſitus & ſimiles, non niſi res intra Epiſcopam ſuam infeudare poſſunt, modò conſuetudo ita antiquitus obſervata, & res in feudum dari ſolitæ fuerint.

*1. f. 1. 1. f. 6. 2. f. 55.* Dn. Rittersh. *Diſp. 2. th. 45.* Dn. Ludw. *d. c.* Dn. Carpz. *d. diſp. 3. th. 13.*

## XXXIX.

Duo hîc præcipuè in controverſiam vocantur: Primum eſt, Num Prælatus etiam ſolus ſine conſenſu

Capituli res infeudari ſolitas in feudum dare poſſit? Affirm.

*c.* 2. X. *de feud.* Dn. Ludw. *d. c.* 5. Dn. Struv. *d. Exerc. th.* 9. Zaſ. *p.* 5. *n.* 47.

### *X L.*

Alterum: An feudum Eccleſiæ apertum, Prælatus poſſit ſuis conſanguineis concedere? Affirm. citra omnem diſtinctionem; modò fraus abſit.

*d. c.* 2. X. *de feudis.* Dn. Cunr. Rittersh. *p.* 1. *c.* 5. *q.* 10. Dn. Ludwell. *d. l.* Dn. Struv. *d. Exerc. th.* 9. Vult. *d. c. n.* 11. Bocerus *d. c.* 3. *n.* 16. Arum. *d. diſp.* 3. *th.* 8. Schneid. *p.* 3. *n.* 42. Atq; hanc ſententiam in Camerâ Imperiali receptam eſſe, tradit Mynſ. *cent.* 5. *obſerv.* 47.

### *X L I.*

Quæ de Prælato diximus, obtinent etiam in capitulo ſive collegio, ſede vacante, quamvis ſint, qui excipiant Eccleſiam Cathedralem.

*arg. c. cum olim* 14. X. *de major. & obed.* Dn. Ludw. *alleg. loc.* Vult. *d. c.* 3. *n.* 11. Sonsbec. *p.* 6. *n.* 4. Schneid. *p.* 3. *n.* 49. Zaſ. *p.* 5. *num.* 48.

### *X L I I.*

Monachi verò licet & ipſi nonnunquam Clericorum appellatione veniant, (a) tamen, quia univerſa bona ſua Deo dicarunt, & Monaſterio acquiſiverunt, (b) feuda dare nequeunt.

(a) *§. qui Clericus* 2. *f.* 26.
(b) *Nov.* 5. *c.* 5. Vult. *d. c.* 3. *n.* 12. Roſenth. *c.* 3. *conc.* 4. *n.* 2.

### *X L I I I.*

Vidimus de Perſonis quæ feuda dare poſſunt. Sequuntur, quæ poſſunt accipere.

Vo-

Vocatur perſonæ, quæ acceperunt feudum, nunc Vaſalli, nunc Fideles, modò clientuli, aliquando milites, *c. ſi autem. in pr. & §. 1. 1. f. 4. c. clientulus 1. f. 13. & c. Sancimus 1. f. 22.* â quibusdam etiam Beneficiati, Inbeneficiati, Feudatarii & Infeudati. Vult. *lib. 1. c. 4. n. 12. & 13.* Dn. Rittersh. *Diſp. feud. 2. th. 3.* & Dn. Ludwell. *d. c. 5.* qui dictarum vocum originem ſolerter indagârunt.

## *XLIV.*

De his verò altera Regula eſt: Feuda poteſt accipere quivis, nullâ nec ſexûs, nec ætatis, nec ſtatûs ſive conditionis, nec ordinis aut dignitatis, nec ullius alterius qualitatis habitâ differentiâ, niſi expreſsè prohibeatur.

*2. f. 3.* Vult. regulam hanc breviter ita exprimit: Feuda dari poſſunt omnibus, qui non inveniuntur expreſsè prohibiti. *d. c. 4. n. 4. add.* Niell. *diſp. feud. 4. th. 6.* Suevius *tract. feud. c. 4.* Zaſ. *p. 5. n. 62.*

## *XLV.*

Cum 1. Regula inter ſexum non diſtinguit, in promptu eſt intelligere, fæminas pariter ac maſculos feuda accipere poſſe.

*c. ſequitur. § filia 1. f. 8. & c. ſi fœmina 2. f. 30.* Dn. Ritters. *d. diſp. 2. th. 51.* Dn. Carpz. *Diſp. 3. th. 27. Vult. d. t. 4. n. 5.*

## *XLVI.*

Ex quo conſequenter *Dd.* & illud eliciunt, nihil prorſus intereſſe, referatne perſona feudum acquirens utriusq; ſexûs imaginem, hoc eſt, hermaphroditus ſive androgynus ſit nec ne, in virilem an ſequiorem ſexũ, quodam quaſi delinquentis naturæ ludibrio, incaleſcat magis.

*l. quæritur 10. ff. de S. H.* Dn. Rittersh. *part. 1. c. 6. q. 10.* Dn.

Lud-

Ludw. *c. 6.* Hübnerus *d. diſp. 3. th. 29. Arum. d. diſp. 3. th. 33.* Borchold. *c. 5. n. 45.*

## *XLVII.*

Cum II. regula in accipientibus feuda nullum ætatis diſcrimen ponit, apparet liquidò, quoſcunq; , non majores tantùm, & minores, ſed & pupillos & infantes ipſos, ad acquirenda feuda habiles atq; idoneos eſſe.

*c. ſi de feudis §. ſi minori 2. f. 26.* Dn. Carpz. *d. diſp. 3. th. 28. ibiq; Dd. alleg.* Dn. Ludw. *d. c. 6.*

## *XLVIII.*

Circa quos tamen hoc tenendum eſt diſcrimen, quod infans per tutorem (aut patrem) vel quod idem eſt, tutor (aut Pater) infantis (a) nomine; pupillus verò ſive infantiæ ſive pubertati proximus, ſicuti & minor, cum tutoris & curatoris authoritate & conſenſu (b) feuda accipiunt, jurejurando pupilli, quod fidelitatis appellant, usq; ad tempus legitimæ ætatis dilato. (c)

(a) *arg. l. 11. 15. §. 2. C. de jure deliber.*

(b) *Dn.* Carpz. *d. diſp. th. 30. 31. Dn.* Ludw. *alleg. c. 6.* Sonsbec. *p. 7. n. 16. 17.*

(c) *§. ſi minori 2. f. 26.*

## *XLIX.*

Quod ſi verò minor curatorem non habeat, poteſt is, quemadmodum alia ſua negotia gerere; ita & feuda ſuo ingenio, ut cum doctiſſimo Germanorum JCto *Zaſio* loquar, acceptare, atq; ita ad ſervitia obligari, quamvis, ſi læſus fortè fuerit, in integrum reſtitutionem habeat.

*arg. l. 3. C. de reſtit. in integ. min. Dn.* Carpz. *d. diſp. th. 32. Dn.* Ludw. *alleg. c.* Zaſ. *p. 5. n. 66.*

*L.* Ait

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-375674-p0018-1

## L.

Ait regula III. nec ſtatûs ſive conditionis diſcrimen in iis, qui feuda accipiunt, attendi. Igitur non ſolùm, qui ſui, ſed & qui alieni juris ſunt, hoc eſt, Paterfam. & filiusfam. feuda accipere poſſunt. (a) Nec inveſtituræ nocet quicquam, etſi in conditione filijfam. error commiſſus fuerit. (b)

(a) Dn. Carpz. *d. diſp. th. 40.* Dn. Ludw. *d. c.* Hübnerus *d. diſp. th. 19.*

(b) Vult. *c. 4. n. 8.* Borch. *c. 5. n. 46.*

## L I.

Verùm, an filiusf. feudi ſibi conceſſi uſumfructum Patri acquirat, an verò ſibi tantùm retineat, inter Feudiſtas acriter controvertitur; probabiliorem & juri feudali magis conſentaneam puto eorum ſententiam, qui uſumfructum ſimpliciter, & citra ullam ad certos caſus reſtrictionem penes filiumfam. remanere ſtatuunt.

Dn. Carpzov. *d. diſp. th. 41.* Dn. Rittersh. *part. 1. c. 6. q. 71.* Arumæ. *d. diſp. th. 39. Vult. d. c. 4. n. 8. ibiq; Dd. alleg.* Dn. Struv. *d. Exerc. th. ult.* Schrad. *c. 6. n. 6.* Borchold. *c. 5. n. 48.*

## L I I.

Quin & illi, qui in dominorum poteſtate ſunt, h. e. ſervi, feuda accipere poſſunt, tàm proprij quàm alieni.

Apertè ita concludit Feudiſta. 2. f. 3. Dn. Ludw. *d loc.* Dn. Carpz. *d. diſp. th. 37. Vult. d. c. 4. Zaſ. p. 5. n. 62.*

## L I I I.

Eâ tamen cum cautelâ, ut ſi ſervus proprius ſit, inſimul dominus, qui feudum confert, libertatem ei ta-



citè

citè dediſſe intelligatur, niſi ignoraverit fortè, hunc, cui feudum dedit, eſſe ſervum ſuum. Eo enim caſu datio nulla eſt.

*arg. §. ſed & ſervus l. qui teſt. tut. dar. poſſ. & pr. l. de hered. inſtit.* Dn. Carpz. *d. diſp. th. 37.* Zaſ. *d. p. 5. n. 63. Vult. d. c. n. 7* Schneid. *p. 5. n. 98.*

## L I V.

Quod ſi verò ſervus ſit alienus, rurſus diſtinguendũ eſt. Vel enim contemplatione domini feudum ſervo datum eſt, & acquiritur ipſi domino: quod verum etiam intelligimus, quamvis dominus expreſsè id nõ dixerit:

Dn. Ludw. *d. cap.* Dn. Carpz. *d. diſp. th. 38. Vult. d. l.*

## L V.

Vel contemplatione ipſius ſervi; ubi verius eſt, neutri illud, nec domino nec ſervo acquiri, ſi dominus conceſſionem ignoraverit. Nam ſi ſciverit, & ſervũ inveſtiri paſſus fuerit, infeudatio ſubſiſtit, & ſervus liber efficitur.

Dn. Carpz. *d. diſp. th. 39.* Dn. Ludw. *d. c. Vult. d. l.*

## L V I.

Ait Regula IV. nec ordinis aut dignitatis ratione habitâ. Nihil igitur refert, Nobilis ſit is, in quem feuda conferuntur, an verò ignobilis & plebejus.

Dn. Rittersh. *p. 1. c. 3. q. fin.* Dn. Carpz. *d. diſp. th. 35.* Schrad. *p. 4. c. 3. n. 11.*

## L V I I.

De ruſtico non eſt usq; quaq; expeditum, poſſit-

ne

ne is quoq; rectè feuda accipere? Ego, quo minus cō-muniter receptæ affirmantium opinioni ſubſcribam, nihil causæ video: Quod idem etiam, de hominibus proprijs noſtri temporis, intellectum volo.

Dn. Ludw. *alleg. c.* ibiq; *Dd. allegat.* Hübn. *d. diſp. th. 20.*

## LVIII.

Alia hîc, nec inelegans incidit quæſtio: Num, ſi ruſtico feudum nobile detur, is nobilitatis etiam inſignia ex eo conſequatur. Affirmo, ſi ab ipſo Imperatore detur. Nego, ſi à reliquis Principibus, Comitib⁹, aliisq; ab his dependentibus, niſi hi vel nobilitandi facultatem habuerint; vel ſaltem partem aliquam de nobili ſuo feudo per ſubinfeudationem conceſſerint.

Dn. Carpz. *p. 3. con. 28. def. 5.* Idem *d. diſp. 3. th. 33.* Dn. LudW. *d. c. 6.* Vult. *d. l. 1. c. 8. n. 8.* Niell. *diſp. feud. 1. th. 7. lit. C.* Rauchb. *p. 2. q. 21. n. 37.* Bocer. *d. c. 3. n. 150. & 151.* Zaſ. *p. 5. n. 68.*

## LIX.

Nihil præterea intereſt ex Laicorum ordine ſint, quibus feuda dantur, an verò ex Clericorum.

*c. hæc ſunt §. item ſi Clericus 2. f. 40. c. ex tranſmiſſa. 6. X. de foro compet.*

## LX.

Ut nec illud, à majore minor; an verò à minore major feudum accipiat.

Vult. *c. 4. n. 10.* Ubi videre licet exempla. Dn. Rittersh. *d. diſp. th. 63.* Dn. Carpzov. *d. diſp. th. 34. 35.* Arum. *d. diſp. 3. th. 40.*

## LXI.

Sanè, in ordine Laicorum ſuperiorem ab inferi-



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-375674-p0021-8

ore infeudari poſſe, vel ſolius Imperatoris exemplo ſatis conſtat, utpote, qui â Marchionibus, Ducibus, Comitibus, cæterisq; inferioribus feuda accipere, Majeſtate ſuâ non inferius ducit: quo caſu tamen in juramento fidelitatis & ſervitiis præſtandis vicariâ aliorum operâ defungi ſolet, imò propter Majeſtatem debet.

*Dd. modò alleg.* Hübn. *d. diſp. th. 24.* ibiq; *Dd. alleg.* Zaſ. *p. 5. n. 73.*

## L X I I.

Quod verò nec in Clericorum ordine aliud ius obtineat, claret ſatis ex eo, quod nec ipſi Pontifici religio eſt, ab inferioribus Eccleſiis feuda accipere

Vult. *d. c. 4. n. 9.* Sonsb. *p. 7. n. 1.*

## L X I I I.

Sed an Clerici â Laicis & contra Laici â Clericis feuda accipere poſſint; ardua eſt & multum controverſa quæſtio. Affirmativæ Dd. comm. inhærent, adeò, ut nec in Perſonâ Pontificis ab Imperatore, nec Imperatoris â Pontifice feudum accipere volentis, diverſum ſtatuant.

*d. 2. f. 40. & d. c. 6. X. de for. compet.* Dn. LudW. *alleg. loc.* Dn. Struv. *d. Exerc. 5. th. ult.* Borch. *c. 5. n. 49.*

## L X I V.

Porrò & Monachis feudum rectè datur, ſed datum acquiritur non ipſis, ſed monaſterio, hâc tamen cautione, ut ſi intuitu ipſius Monachi detur, ad vitam tantùm: ſi verò reſpectu Monaſterij, in perpetuum datum intelligatur. Quod ſi Monaſtrium per regulam ſui or-

ordinis feudi planè capax non ſit, fruſtra id Monacho dabitur.

*Dn.* Ludw. *d. l. Dn.* Carpzov. *d. diſp. th. 36. Dn.* Struv. *d. l.* Sonsbec. *p. 7. n. 23.*

## *L X V.*

Ait regula V. nec differentiâ ullius alterius qualitatis habitâ. Muti ergò, ſurdi, furioſi, mente capti, prodigi, aliiq; imperfecti rectè feuda accipiunt, verùm modo diſpari:

## *L X V I.*

Nam furioſi, mente capti & prodigi accipiunt feuda per Curatores: (a) Reliqui etiam per ſe & absq; curatoris conſenſu.

(a) *arg. l. 5. de* R. I. quia illorum nullum eſt animi judicium. *Dn.* Carpz. *d. diſp. th. 43.* Vult. *d. c. 4. n. 11. Dn.* Struv. *d. Exerc. th. 14.* Niell. *diſp. 2. th. 6. lit.* b.

## *L X V I I.*

Nec quicquam impedit, quod jam dictæ perſonæ ad ſervitia Domino præſtanda omninò ſint inhabiles. Cum enim feudum conſtituens conditionis illorum non ſit ignarus, præſumitur eis hanc gratiam feciſſe ut per vicarium, quem ſubſtitutum vocant, ſervitia, præſtare queat.

Dn. LudW. *d. c. 6.* Dn. Carpzov. *d. diſp. th. 42. ibiq; Dd. alleg.*

## *L X V I I I.*

Claudunt regulam iſta verba: Niſi quis expreſsè prohibeatur. Prohibentur autem feuda accipere 1. Hæretici, (a) 2. Apoſtatæ, (b) 3. excommunicati, (c) 4. deportati, (d) 5. banniti Imperij, (e) 6. Uſurarij manifeſti

ſti (f). 7. damnati de crimine aliquó publico, (g) Quibus poſtremò annumeramus infames, (h) non tamen natos ex inceſto coitu vel adulterio. (i)

(a) *l. 4. §. 1. C. de hæret. & Manich. Nov. 131. c. 14. c. ult. X. de hæret.* Borch. *c. 5. n. 13.*

(b) *l. 4. C. de Apoſt.*

(c) ſc. *excommunicatione majore. arg. c. 16. 32. & 33. q. 3.* Borch. *d. l.*

(d) *l. 2. C. de bonis præſc.* Ii enim juris civilis beneficiis indigni *l. 17. §. item quidam ff. de pœnis. l. 15. ff. de interd. & releg.*

(e) bannum quippe hodie in locum deportationis. ſucceſſit *Geil. lib. 2. de Pac. publ. c. 1. n. 24. l. fin. C. ad leg. jul. Maj. l. 9. C. d. t.*

(f) *c. 1. de uſur. in 6.* qui etiam ad infames referuntur *l. 20. C. ex quib. cauſ. infam. irrog.* Roſenth. *c. 3. concl. 23.*

(g) ut eſt læſæ Majeſtatis. *l. ult. C. ad leg. Jul. Maj.*

(h) milites enim eſſe nequeunt. *l. 2. §. 2. & 3. ff. de his qui not. infam. Carpz. d. diſp. 3. th. ult.* Bocer. *de inveſtit. c. 3. n. 142.*

(i) diſtinguumt tamen hîc *Dd.* nonnulli, inter feudum, quod annexam habet dignitatem, & quod non habet. Poſteriori hoc caſu natos ex inceſto coitu & adulterio feuda accipere poſſe exiſtimant. Priori non item. *2. f. 16. 20. in pr. 2. f. 37.* ibi: *ut in curiâ amplius ſtare non poſſit:* Cum non ſit honorificum Domino & Paribus curiæ, maculoſos habere Vaſallos. Vult. *l. 1. c. 9. n. 91.*

Atq; de his tantum.

*SOLI DEO GLORIA.*

---

Ad CL. Dn. CANDIDATUM
Acclamatio.

*SEIFARTE cujus nobili ex luto Titan*
*Cor fabricavit magna pars Amicorum,*
*Quid arbitraris, an profectibus noſtro*
*Non gratulabor de tuis Athenæo?*
*Erat, ubi Lipſis & Salana Te tempe*
*Variis docebant expolire doctrinis*
*Mentem profundam: quin & aurei jamtùm* pro-

*Propullulabant indè & indè theſauri*
*Scientiarum: Noſter at ſuo demùm*
*Calore fructûs fovit ultimos Pindus,*
*Ut vere jam cum floribus renaſcente*
*Simul vireſcant. Fallor? an tuæ primas*
*Præ reliquis florere floribus baccas*
*Laurûs video? Sic, CANDIDATE, ſic ſic eſt:*
*Florent; & has Aſtræa præmium ſpondet,*
*Modò, voce jàm quod ipſe publicâ indicis,*
*Cum laude militaveris priùs bellum.*
*Fiat precor. Pæana mox canam tecum*
*& jam cano. Victoriam Sacrum Numen*
*Simul hanc & auſûs proſperet ſimul cunctos.*

## EPIGRAMMA

*De argumento inaugur. Diſputat.*

*In* Feudum *dederat dudum* Themis *enthea libros;*
Corpus *præcipuè* Juris utrumq; *Tibi.*
*Tu contrà aſſiduo curans commiſſa labore*
*Annon cum ſummâ laude* Vaſallus *eras?*
*Quid* Domina? Obſequio *debetur Gratia, dicit,*
*& Tibi ſic* proprium Corpus utrumq; facit.
*O Te felicem! Feliciter utere* tali;
Non aliâ *poteras ſcandere* Sorte *polum.*

amico calamo
*fundebat*
ENOCH Gläſer P. Cæſ.

---

ES iſt des feuers arth/ ſo baldt es wirdt erreget/
Daß es die ſtrenge gluth hin zu den wolcken leget
Vnd macht ſich jhnen gleich: So auch ein hoher ſin
Der feuer in ſich fühlt/ gedencket ſtets dahin
Wie er durch wachen fleiß den edlen Pierinnen
Zur ſeiten könne ſtehn; Er putzt das hauß der ſinnen

Mit

Mit ſchöner weißheit auß/ geht ſeinem führer nach
Der Tugendt / die ihn bringt/ biß ans gewölbte dach
So iſt ſein wunſch gewehrt. Er hat waß ſeine jugendt
Der ſterbligkeit benimt/ Sein geiſt iſt lauter tugendt/
Vnd kent die erde nicht/ die nichts als eytelkeit
Ja faule wohluſt hegt/ die mörderin der zeit
Der jugend ärgſte peſt/ die bald kömt/ bald verſchwindet
Vnd kerckert die vernunfft/ und vieler ſeelen bindet
An einen falſchen ſtrick. Daß wird von dir geſagt
Du mehr alß mein *Oreſt*, ſo bald es nur getagt
Ja wen die ſchwartze nacht die welt noch hilt umbfangen
So biſtu eyfrig hin zu deinem pult gegangen
Vnd deinen ſchönen geiſt an kunſt gemachet reich
An weißheit und verſtand. Du thaſt den bienen gleich
Die fliegen hin und her durch alle grüne felder
Durch wieſen berg und thal/ und durch die jungen wälder
Zu ſuchen ſüſſen klee/ der güldnen roſen zier
Darauß ſie bringen dan den honig ſo herfür.
So/ ſag ich/ haſtu auch der weißheit ſchönes weſen
Aus *Baldus*, *Bartholus*, auß *Jaſon* ſtets geleſen;
Den außzug ſtelſtu dar/ durch die gelehrte ſchrifft
Die gantz nach weißheit ſchmeckt/ und ander' übertrifft.
Vor dieſen deinen fleiß/ wirſtu itzt zugeführet
Der *Themis* alß ein Sohn/ die dich mit ehren ziehret
Sie reicht dir willig dar den ewig grünen preiß
Der dir verſprochen iſt/ macht dich an weißheit greiß
Vnd will dich gantz und gar der ſchnöden welt entreiſſen
Vnd zu ſich ſelber ziehn/ und bey ihr ſitzen heiſſen.
Die *Fama* macht der welt dein hohes lob bekand.
Daß heiſt ja ſeinen fleiß zum beſten angewand.
Ich wünſche glück darzu! Gott wolle ſo viel ſegen
Zu dieſem deinem ruhm/ auß gnaden willig legen
Alß du von nöthen haſt/ daß auch der blaſſe Neid
Dir nicht zu wieder ſey/ zu ungezehlter zeit.

Seinem geehrten Herrn Tiſchgenoſſen zu
ehren machts
**Chriſtoph Pfennig. Juris Stud.**

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-375674-p0026-6

94 A 7360

94 A 7360

ULB Halle 3
002 381 974

Sb.

VD 17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-375674-p0027-1


ſpiritu ſancto et ceperunt loqui all
A. Fontes et omnia que mo
hymnum dicite deo alleluya. Euo

# THESES INAUGURALES
DE
# PERSONIS FEV-DA DANTIBUS ET ACCIPIENTIBUS

QUAS

DIVINO SUBNIXUS PRÆSIDIO

*Auctoritate Nobiliſſimi & Ampliſſimi JCtorum Ordinis in almâ Univerſitate Noricâ*

Pro ſummis in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis ritè obtinendis

*Publico & Solenni Examini ſubjicit*

FRIDERICUS SEIFART
HAL. SAX.

*Ad d. 26. Martii*

*ANNO CHRISTI*
M. DC. LIII.

ALTDORPHI
TYPIS GEORGI HAGEN, Univerſ. Altdorph. Typographi.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-375674-p0029-6